

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Pusillanimitas d
cum fonte primo

Remissio que os prelati obstruit, que mentem eius deicit, que adulatorem et uenditorem olei facit, dum sibi quietem et honorificentiam uenatur in fauore principum, hec miseros precipitat in foueam scandalorum.

Hec est remissio per quam unus edificat parietem et alius linit, per quam laudatur peccator in desideriiis anime sue et iniquus benedicitur;

per hanc canes muti inualescentes, immo non uolentes, latrare; per consensus uniformitatem, faciem et similitudinem peccatoris assumunt, sicut scriptum est: *Vsquequo iudicatis iniquitatem et faciem peccatoris sumitis?*

Petrus Rauennas in quadam epistola.

Verumtamen

remissio, quae os praelati obstruit, quae mentem eius deicit, quae adulatorem et uenditorem olei facit, dum sibi quietem et honorificentiam uenatur in fauore principum, haec miseros praecipitat in foueam scandalorum.

In hac fovea, sicut propheta dicit, cubavit lamia, et inuenit sibi requiem. In hac, teste B. Job *bestia suum ingreditur latibulum, et in antro suo morabitur.*

Haec est remissio, per quam unus aedificat parietem, et alius linit; per quam laudatur peccator in desideriiis anime suae, et iniquus benedicitur (Psa. 9:24).

Per hanc canes muti non ualentes, immo non uolentes, latrare (Isa. 56:10), per consensus uniformitatem, faciem et similitudinem peccatoris assumunt, sicut scriptum est: *Usquequo iudicatis iniquitatem, et faciem peccatoris sumitis* (Psa. 81:2)?

Petrus Blesensis, *Epistolae*, 100 (PL 207, col.310C-311A).